



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Verior eius diuisionis explicatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

superius libro 2. tractatu 1. cap. 1. ad finem, discrimen rei simpliciter existentis, cuiusmodi est relatio, iuxta hos auctores, ab eo, quod non habet existentiam, nisi secundum quid, & mediam inter ens reale, & rationis, sit vis quidpiam agendi, & fecunditas aliqua. Contra tertio: quia Paternitas, quam modum permitto, an non durat, & locatur? durationem ergo suam, & locum, siue vbitatem poterit, ac debet producere ritu ceterarum rerum, quæ in tempore, & loco existunt.

- 34 Postrema Patris Suarez superius sectione 4. numero decimoquinto, & aliorum opinio priori assimilis statuit, relationem prædicamentalem non produci per se, & immediate, sed per accidens, & mediatè, id est interstitio eius actionis, qua ponuntur eius fundamentum, & terminus: at contra se habere relationem transcendentalem. Verum cum relatio sit realiter indistincta à fundamento, & termino, qua vtrumque producitur immediatione, & perfectitate, eadem necesse est, & illam produci: quod si sit modus, aut formalitas fundamento suo intrinsecas, fieri non posse videtur, ut in rebus incipiat existere, quin aliqua ad eam actio immediatè, & per se tendat: alioqui fingere poterimus productum, & organizzato corpore, nullius alterius adminiculo, aut superuentu actionis, animam, vñionem, & cætera accidentia incipere in rerum natura: quod tamen adeo est falsum, adeoque absurdum, ut nihil supra.

CAPUT III.

Verior eius diuisionis explicatio.

- 35 Reiectis aliorum sententiis, ipse ita sentio; relationem prædicamentalem esse, quæ fundamento nullam perfectionem, aut entitatem intrinsecam superaddit, transcendentalem vero, quæ eiusmodi entitatem, aut perfectionem importat. Probat hęc differentia: relationes prædicamentales tertij generis procul dubio nullam perfectionem, aut entitatem fundamento intrinsecam important, cum sciri, aut cognosci rei extrinsecum sit, aut si intrinsecum est, ut plures Thomistæ volunt, iuxta eosdem nullam perfectionem, aut entitatem realem sed tantum quid rationis, atque fictitium in re cognita ponit: quod autem relationes prædicamentales primi, & secundi generis, nimirum in vñitate, aut diuersitate, potentia, aut actione fundatas attinet, in iis eadem doctrina adhuc certius locum habet, siquidem in fundamento, & termino re ipsa consistunt: proinde nullam perfectionem fundamento intrinsecam important, cum huic terminus sit ex genere suo intrinsecus: qui autem eam in modo reali, aut formalitate fundamento intrinsecas, illique superaddita putant consistere, tenentur idem tueri, nimirum nullam perfectionem, aut entitatem intrinsecam relatione, qua de agimus importari, alioqui singulis momentis substantiæ Petri penè infinitæ perfectiones, & entitates de nouo deperirent, & denuo aduenirent, cum relationes prædicamentales similitudinis, æqualitatis, &c. quas quouis instanti admittit, & acquirit innumera sint, ut inferius explicabitur. Ceterum omnis relatio transcendentalis, videlicet cognitio, amor, vñitas, &c. perfectionem aliquam, & entitatem fundamento intrinsecam inuoluit, ut partim in Physica ostendi, partimque in hoc opere ostendam: conceptus igitur à nobis assignatus omnibus

R.P. Richard. Lyncei, Philosoph. Tom. III.

ni relationi prædicamentali conuenit, & nulli transcendentali: atque adeo poterit vtramque decernere.

36 Verum enim obijciat. Nec omnis relatio transcendentalis perfectionem, aut entitatem fundamento intrinsecam importat, nec omnis relatio prædicamentalis eam non aduocat: vtrique ergo, haud est à nobis sufficienter discriminata. Probat antecedens: nam consequentia non eget probamento. Primo: quia Paternitas diuina est relatio prædicamentalis, non minus, quam creata, & tamen infinitam perfectionem inuoluit, & essentia intrinsecam rationem superaddit. Secundo: quoniam cognitio, aut volitio libera Dei non est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis sicut nostra; & tamen nullam interim perfectionem, aut entitatem essentia intrinsecam importat, aliàs aliqua posset perfectio Deo deperire. Rursus tertio: actio est relatio transcendentalis, quin tamen vllam perfectionem fundamento intrinsecam inuoluit, cum fundamentum eius sit agens, cui actio transiens, de qua sola sermo, extrinseca est, utpote quæ in passo residet. Quarto: Paternitas, verbi gratia, creata saltem est relatio prædicamentalis: nihilominus importat perfectionem, & entitatem essentialem, atque intrinsecam alicui fundamento, nimirum sibi ipsi, quæ quidem prædicamentally refertur ad filium, non minus, quam Pater, cuius substantiam extrinsecè denominat. Quinto: habitus, siue denominatio vestiti, armati, aliave similis, cum sit extrinseca, nullam importat perfectionem fundamento intrinsecam, nullam non deforis cadentem: nihilominus haud est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis, nec est generis ad aliquid, sed aliud suo matre constituit. Sexto denique: nullus modus perfectionem, aut entitatem inuoluit, quam fundamento intrinsecè superaddat, siquidem vñio, vñicatio, actio, v.g. debilissimæ entitatis sunt, & non tam esse, quam modi essendi debent appellari: sed omnis modus est relatio transcendentalis: ergo, &c.

37 Respondeo negato antecedenti: ad primam eius probationem dicent fortasse aliqui, nullum prædicatum diuinum in prædicamento esse, atque adeo, nec Paternitatem. Dicent etiam alij, eam, & quemuis alium conceptum Dei proprium esse in prædicamento, sin minus physice, & prescè, at certè metaphysicè sumpto; idque absque vlla etiam imperfectionis vmbra: ceterum illam esse in prædicamento non relationis, sed potius substantiæ. Quod ita explicant, & confirmant: non magis differunt prædicamentum ad aliquid, & prædicamentum substantiæ, quam qualitatis, & substantiæ: sed quod in nobis est qualitas prædicamentalis, videlicet cognitio, & amor, in Deo substantia prædicamentalis est, cum Deus non per accidens aliquod, sed per suam substantiam cognoscat, & amet: Paternitas igitur, quæ in nobis est relatio prædicamentalis, in Deo non relatio prædicamentalis, sed substantia prædicamentalis est censenda. Rursus duratio, vñicatio, actio, quæ in nobis ad prædicamentum vbi, quando, & actionis attinent, in Deo spectant ad substantiam prædicamentalem, cum Deus per suam substantiam duret, agat, & vñicetur: ergo similiter in præsentia, &c. Verum ambæ solutiones aduersantur his, quæ superius constituta sunt, atque probata tract. 1. c. 1. 2. 3. & 4. Prior quidem, quatenus Deum à prædicamento ablegat, & cum eo quoduis eius prædicatum. Posterior vero, quatenus supponit

N 2 idem

idem artinere non posse simul ad diuersa prädicamenta, fierique consequenter nequire, vt Paternitas diuina sit substantia, atque relatio prädicamentalis.

38 Quamobrem reiectis his solutionibus dicent alij, relationem Patris in Deo esse quidem prädicamentalem, vt minimum metaphysicè. Cæterum nullam ei perfectionem intrinsecam superaddere, non quod non sit intimè perfectio, vt falsò existimant Thomistæ quidam, sed quòd propriè nullum facere possit additamentum, tum defectu veræ distinctionis ab essentia: nec enim nisi distincta possunt inuicem superaddi: tum etiam, quia essentia diuina, quæ est eius infinitas, haud est magis perfecta merito Paternitatis sibi aduenientis quodammodo, quam sui solius. Verum hæc solutio haud videtur cæteris magis amplectenda: nam iuxta eam cognitio, & voluntas libera Dei essent similiter prädicamentales relationes, quod tam absurdum est, atque si Paternitas diuina foret relatio transcendentalis duntaxat: quod autem hoc sequatur, equis non videat? cum neutra earum magis distinguatur à Deo, quam Paternitas iuxta non paucos auctores, neutraque minus, quam illa infinitatem essentiae supponat: proinde nullum potius, quam ea facere poterunt additamentum propriè loquendo: virtualis autem, atque impropria additio perfectionis utrobique ex æquo locum habet, vt inter diluendam sequentem probationem constabit. Rursus cum dicitur in definitione relationis transcendentalis, quod fundamento perfectionem aliquam superaddit, subaudiendum est, nisi verò relatio perfectionem ipsius fundamenti formaliter includat, atque in ea posita sit: actio namque, cum per seipsam refertur transcendentaliter ad terminum, eiusque relationis est fundamentum, & extremum, haud sibi se superaddit, etiam virtualiter, & improprie, haud ita facit cum fundamentum, id est secum, aliquod perfectionis incrementum, vllumve cumulum: cur nam ergo Paternitas diuina sit excludenda à conceptu relationis transcendentalis? cur censenda prädicamentalis? propterea quod non sit superaddita realiter fundamento suo, videlicet essentiae. Quasi vero sine additione etiam virtuali, ac rationis locum non habeat relatio transcendentalis: quod enim eum habeat ostensum est actionis exemplo, aliisque etiam ostendi perquam esset facile.

39 Dicendum ergo arbitror, nomine perfectionis omninò intrinseca fundamento, per quam est definita relatio transcendentalis, atque à prädicamentali separata, sub intelligi perfectionem, quæ ita sit fundamenti, vt non sit termini per identitatem etiam in tertio, sed potius tam mediata, quam immediate ab eo distincta: quo autem iure, conspicuum erit eunti per omnes relationes transcendentales proculdubio tales, atque à philosophis communiter admissas: at Paternitas nullam importat perfectionem eo sensu prorsus intrinsecam fundamento suo, patri videlicet, essentiaeque in eo clausæ: quæuis enim eius perfectio identificatur mediata, & interstitio essentiae cum Filiatione ad quam terminatur, & in qua sistit vicinò: quid mirum ergo, si illa non sit relatio transcendentalis, sed potius quarti generis tantum?

40 Ad secundam probationem contrariam, Cognitio libera Dei, & eius amor infinitam, & illimitatam perfectionem formaliter includunt, cum præter terminationem liberam perfectionis fortè expertem perfectionem cognitionis, & amoris necessarij cohibeant, eamque omninò intrinsecam, & nullam

cum termino identitate præditam: Secundò etiam dici potest, cognitionem, & amorem liberum in Deo perfectionem, & entitatem eiusmodi positiuè non includere; at certè negatiuè, cum omnem excludant imperfectionem, quod satis est, vt ad prädicamentum ad aliquid nequaquam attineant. Vtræque solutio supponit disputandi gratia actus liberos diuini intellectus, & voluntatis esse adæquatè intrinsecos Deo, & ne ex parte ab eo distinctos. Quod si cum non paucis Theologis placeat, Deum, nec scire, vel velle quidpiam extra se, nisi per aliquid creatum, & de foris labens, nimirum existentiam ipsam, quam contingenter scit, amare, sin autem per hanc, certè per aliud extrarium, quod quale sit, & à nobis suo explicandum loco; solutiones superiores omitti debent, eorumque vice respondendum est tertio, actus hos esse relationes, non transcendentales, sed prädicamentales, primæ nimirum speciei, atque in vnitare quadam, & coniunctione intentionali fundatas: idcirco enim nostra cognitio, & amor referuntur transcendentaliter ad objecta sua, quoniam nobis intrinsecus omnino adueniunt, ac nihil inuoluunt extrinsecum: secus ergo, si se habent in Deo, non est perfectio, cur non arceri debeant à numero relationum transcendentalium, aut non inter prädicamentales numerari: præsertim verò, cum Doctores omnes, qui tuerentur Deum non omnino essentialiter, & intrinsecè, sed quadantenus extrinsecè posse moliri res creatas, eo ipso relationem eius ad illas omnipotentiae vocabulo significatam esse negent transcendentalem, atque, vel prädicamentalem putent, vel certè nullam. Quin etiam in nobis cognitio, & amor alterius ordinis, quibus nimirum aliquid extrinsecum includitur, supradicta de causa spectant suo quasi iure ad prädicamentum ad aliquid, nec solius relationis transcendentalis, ac latè fuscæ sortiuntur rationem: quamobrem, esto communiter, & merito sentiat absurdum esse, quod actus nostri intentionales, Deive optimi maximi sint relationes prädicamentales, & non transcendentales, id tamen intelligendum est hoc sensu, videlicet, si utrique sint omnino intrinseci, secus verò, si sint extrinseci quadantenus.

Ad tertiam probationem eius antecedentis, quæ tota vis argumenti nititur: actio, vt vt intrinseca passio, & extrinseca agentis sit, de quo sua sede, tamen alicui fundamento perfectionem, & entitatem omnino intrinsecam importat, videlicet aut ipsi actioni, quæ refertur ad terminum, & sibi per identitatem intrinseca est, aut certè passio, in quo intrinsecè suscipitur: cæterum relatio prädicamentalis nullum fundamentum omnino intrinsecè perficit. Ad quartam probationem aduersariam; quemadmodum albedo non est alba simpliciter, ita Paternitas non est Pater, nec refertur prädicamentally ad Filium: haud ergo est fundamentum huius relationis, sed relatio ipsa: alia est actionis ratio, tametsi enim non agat simpliciter terminum, est tamen cum eo omnino connexa, quæ connexio more cæterarum omnium essentialium est haud dubiè relatio transcendentalis. Respondeo secundò, iuxta paulò inferius dicenda; Paternitatem, cum includat terminum intrinsecè, & immediate, strictamque cum illo identitatem, quamuis cum distinctione reali inadæquata coniunctam sortiatur de sententia plurium auctorum, ad eum non posse vllò modo verè referri, nedum prädicamentally. Respondeo tertio, ac permitto, Paternitatem prädica

prædicamentaliter referri ad filium, certe non importat perfectionem aliquam intrinsecam vlli fundamento simplici, & incomplexo, sed potius alicui, quod sit complexio quadam rerum distinctarum inuicem, & seque extrinsecè respicientium: huiusmodi enim est Paternitatis essentia. Vel paulò aliter: ea importat perfectionem intrinsecam, non fundamento absolute dicto, sed fundamento, & termino, cum quibus potius, quam cum altero solum identificatam volumus relationem. Atque hinc obiter fatissit quibusdam instantiis, quæ sese offerre possunt aduersus solutionem superioris probationis, tertiæ nimirum.

42 Ad quintum à principio: habitus in abstracto sumptus pro vestimento, armisve, prædicamentum, quod dici solet *habere* constituit: ita vero non est relatio rei induræ, & armatæ ad indumentum, & arma, sed potius horum ad illam; his autem, siue, quod iuxta est, sibi ipsi intrinsecam concernit perfectionem: quod si habitus sumatur in concreto, ita quidem est relatio eius, qui vestitur, aut armatur, ad formas harum denominationum, eaque extrinseca, nullamque perfectionem importans fundamentum intrinsecam prorsus: quamobrem eo sensu est species quadam relationis prædicamentalis, nec habitus prædicamentalis, nisi nomine tenus. Deinde permitto, habitum quomodolibet sumptum esse quadam relationem prædicamentalem, & non transcendentalem: profecto nihil inde colligi potest, contra nostram sententiam: siquidem diuisio entis in relationem, habitum, & cætera prædicamenta haud est exacta, & propria, sed rudi, vt aiunt, & pingui minerua tradita: quocirca parum interest, quod aliquod eius membrum includatur in alio, scilicet habitus in relatione prædicamentali, veluti homo in animali: sed de hoc statim. Aio tertiò, non deesse multos auctores, qui ad veram relationem prædicamentalem exposcant distinctionem realem, non quamcunque, sed adæquatam: talis autem non interest inter vestitum, & vestes, armatum, & arma: neutrum ergo ad hæc refertur extrema, prædicamentaliter vtique: quod autem homo munere ambarum denominationum ita referatur ad illa, tantum probat ambas, prout hominem cum vestibus, & armis comparant, esse relationes prædicamentales, prout se verò, transcendentales: posteriori autem modo sumptas, non priori strictè dici habitum.

43 Ad sextam, & vltimam probationem: modi omnes perfectionem, & entitatem inuoluunt, vt ostendatur in tempore: quod autem sint modi essendi, minimè obstat: quia etiam forma substantialis est modus essendi materiæ, cui non tam esse, quam completè esse communicat, & tamen ea perfectionem, & entitatem importat. Declaratur: perfectio alia est transcendentalis, & hæc omni modo, & relationi non solum transcendentali, quod per se patet, sed etiam prædicamentali communis est, nullamque non comitatur, vt omnibus est in confesso, vtque rectè animaduertit Fonseca libro quinto, metaphysic. capite decimoquinto, quæstione tertia, sectione tertia: *Patet enim*, inquit, *respondendum esse, relationem quamlibet huius prædicamenti, etsi non est perfectio ad operationem actiue, aut passiue comparata, esse tamen perfectam perfectione transcendente*: alia est perfectio formalis in virtute quidpiam agendi, aut patiendi sita, atque hæc etiam relationi prædicamentali conuenit, vt superius visum: quod si non;

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

quid refert. Cum supersit prior, eiusque præsidio nostra possit assertio defendi.

C A P V T IV.

Alia explicatio eiusdem diuisionis: & obiter quatenus eius alterum membrum, videlicet relatio prædicamentalis soleat trifariam subdiuidi?

44 Satis probabile arbitror omnem veram, ac propriam relationem, siue sit actionis ad terminum, causamve, aut passionis ad subiectum, formamve, siue vbitatis ad locum, remque locatam, siue durationis ad tempus, eique rem commensam, siue cognitionis & amoris ad rem cognitam, & amatam siue substantiæ ad accidentia, quibus subesse potest, & postulat, siue horum contra ad illam, siue demum quæcunque alia transcendentalis dici solita ad genus ad aliquod spectare, & esse relationem prædicamentalem: hanc autem esse relationem in communi prout à supradictis abstrahitur speciebus, omnesque sua ambitione, & latitudine cohibet. Quocirca relatio prædicamentalis, & transcendentalis distinguuntur tantum velut superius quoddam, & inferius animal, verbi gratia, & homo: vti namque omnis homo est animal, non tamen omne animal homo; sic omnis ratio transcendentalis, siue in specie sumpta relationis in genere, & communissimè vsurpatæ conceptum vendicat; è conuerso tamen haud omnis relatio in communi est relatio transcendentalis, ac specifica, v. g. cognitio, actio, aliæve consimilis: proinde distinctio earum relationum est inadæquata, & irreciproca: irreciprocatio constat ex iam dictis: inadæquatio verò, quia est cum identitate nuper etiam explicata coniuncta.

45 Probat autem hæc sententia primò auctoritate: fuit enim Zenonis Eleatis, & omnium philosophorum Aristotele, & Platone antiquiorum opinio, *Esse quidem* (vt verbis P. Suarez disputatione 47. metaphysic. sectione 1. numero 8. vtar) *in rebus relationes reales, illas vero non constituere peculiare genus entis, sed esse conditionem quadam transcendentem, qua in omnibus entibus includi potest*. Ecquid autem est relationem prædicamentalem transcendente omnia entia, & respectus, in quibuscumque inclusos, quam eam esse relationem transcendentalem, & hanc cuiuscumque sit verè participare conceptum illius? Ecquid item relationem prædicamentalem esse genus entis, non tamen à cæteris distinctum, sed eis permixtum, quam talem relationem esse rationem communissimam veræ relationis, & omne ens propriè relatiuum, quale profecto nullum non est, sub ea comprehendendi, eiusque naturam fortiri? Quod autem priscos illos philosophos censuisse refert Suarez loco suprà citato idem de eis testatur Sotus in principio prædicamenti ad aliquid, necnon Albertus, & Alexander ibidem.

46 Eiusdem sententiæ magna ex parte est Cardinalis Tolerus in capite ad aliquid q. 1. concl. 3. his verbis: *Probabile mihi videtur etiam relatiua secundum dici in hoc prædicamento collocari*: vocat autem supra eodem capite & quæstione 5. *Hæc autem sunt in duplici differentia*: vocat inquam ibi relatiua secundum dici scientiam, habitum, seu facilitatem alicuius rei operandæ, potentiam, & alia eiusmodi accidentia, quæ quidem nos in præsentem vocamus relationes transcendentales plerorumque auctorum, præsertim recentio